Lane Medical Library

METHODUS ET FINIS MEDICINAE.

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD

CONCESSU ET CONSENSU

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM SEDE GRYPHISWOLDENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE,
CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE

RITE CAPESSENDO SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS ADIECTIS

DIE XXIII. MENSIS DECEMBRIS 1854.

PUBLICE DEFENDET

OSCAR LEONARDUS BEYERSDORFF

LABENSIS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

F. SOMMER, MED. DR.
W. KLAVERKAMP, CAND. IURIS.
AD. GEMMER, STUD. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLIV.

Patri suo

hunc libellum dedicat auctor hac epistola, quae simul erit instar prolegomenon.

Quum semper, si quid feliciter prospereque mihi contigerit, maximum tu una cum omnibus qui me amore prosequuntur, gaudium ac voluptatem percipias, dubitare profecto non potero, quin tu effusiore gaudio perfundaris hodierno laetifico sane die, quo occasio mihi oblata est edendi speciminis meae industriae in literarum studio adhibitae. Res satis ardua est post semestria academica, quae sua habent onera, scriptoris personam induere ac novum quid atque antea minus perpolitum in medium proferre. Etiam mihi non accidit, ut in relicta quadam medicinae

provincia quidpiam forte detegerem aut fortiter invenirem. Igitur quod ad ipsum hunc, qui ante oculos est, libellum attinet, priusquam in tuum atque existimantium arbitrium venerit, pauca exponam.

Ea, quae in hoc libro obveniunt, mihi persuasa sunt, quorum haud sane pauca jam ab aliis varie dicta sunt, alia vero opinionibus nunc probatis contraria videntur. Sed his de rebus metu offensionis non paveo, quippe quum nullius mihi immodice dicti conscius sim. Alia res inanis scilicet me commovet. Omnia generatim exposita multam plerumque penes homines habent offensionem, utpote quae universa sine ulla vi decantentur. Nec me fugit fore, ut quamplurimi hunc qualemcunque laborem meum non aequi bonique consulant. Quippe videntur alii fore, qui quod industriam meam in universa studia distraxerim, reprehendant; alii, qui hebeti animi ingenio atque nullo diuturno usui prospiciant universa difficiliora intellectu esse sentientes. Contra haec, ut fortiter vis oppugnantium propulsetur, quid afferri potest?

Fieri plerumque solet, ut sua quisque auctoritate alicujus quasi ingenii in omnibus agendis rebus moveatur. Etenim eruditorum magna pars non ea intelligere studet, quae sunt animi, quaeque sensus hominum communis, sed pedibus in sententiam viri sui iens lubenter acquiescit. Deinceps inde opinabile et credibile haud raro vim exercent, sic ut fieri non possit, quin scientia hominumque item et religionis pariter et transcendentiae gravi subjecta sit tyrannidi.

Quum hoc genus scribendi susceperim, uti a me omnem vim opinabilis et credibilis defendam et cum speculativa ratione per bonam gratiam componam controversias, mea interfuit. Meum enim semper judicium fuit, omnem scientiam in unica sensuum basi collocandam esse ab omni auctoritate remotissimam. Universa quidem haec quaestio est sed tamen necessaria et grave cujusque officium habendum, ut hac de re quodammodo absolvat.

Quod reliquum est: inficias ire nec possumus nec volumus suppeditare eam rem uberiorem quam

hic libellus capiat dicendi materiem. Quamobrem duo vix evitari potuerunt, ne quid inquietum in sermone aut ne quid nimis breve in explicatione inveniatur.

Scripsimus in urbe Gryphiswoldensi idibus Decembribus 1854.

Eine tätige skepsis ist die, welche unablässig bemüht ist, sich selbst zu überwinden und durch geregelte erfarung zu einer art bedingter zuverlässigkeit zu gelangen. Göthe.

Scientia tota ex consortio et commercio hominum facta est unica. Itio in partes sicut in omni labore pro objectis facta est. Fieri autem haud raro solet, ut pars quaeque non ex communi usu sed per se et pro se existere contendatur. Hoc satis temere ac pueriliter dictum videtur, quasi vero notitiam hominum in multas contentiones ontologicas liceat dividere. Quod quidem magis mirum esset, quam quis intelligere valeret. Huc accedit, quod varia in partes scientiae accipiuntur, quibus cum ea par est nihil, nihil simile, quo fit, ut notio pura scientiae inficiatur et corrumpatur. Cujus rei causa praecipua haec est, quod ex mole opinabilium et credibilium axiomata et principia scientiae lubentissime immiscentur. Haec omnia prorsus respuenda sunt.

Inter placita communia etiam occurrit, ut inter

theoriam et praxin distinguendum esse contendant. Sunt enim multi, qui persuasum habeant multa posse in studio sciri neque pariter ad opera quidquam valere. Sedtamen viae ad scientiam et potentiam conjunctissimae sunt, nam quod in operando utilissimum, id in scientia verissimum. Unde quaeso ista distinctio? Quovis fere tempore ex inveterata consuetudine versandi in abstractis et ex ratione praecipiendi orta est ideoque pro idolo habenda et reiicienda.

Quae enim est scientia, quae ars? Est commune generis humani imperium in res. Quae enim in scientia rerum leges vere inveniuntur, iis solummodo, si ars imperat, res parent. Naturae non imperatur nisi parendo. Tota vero sciendi actio tantum habet exitum, quantum certi et necessarii in rebus inest. Unde leges exortae sunt. Summa lex summa scientia. Legis vero propria natura phaenomenorum aequitas ac necessitas est. Duo autem maxime observanda quibus lex tenetur, quum vires universae tum rerum conditio et attributa. Quaeque vis universa una eademque est, quippe quae phaenomena pariat. Atqui quum certis quibusdam rerum conditionibus vis certa phaenomena pariat neque quodammodo alia, haec lex est, hoc artis organon et regni hominis fundamentum.

Scientia progressa est. Hoc procul dubio in compertis habemus, sed quomodo fieri potuerit, haec magna dissensio et corruptela. Sunt plurimi, qui rem ex voluntate et contentione mentis fieri velint, quippe quum mens sit vis expansiva ab initiis, res

aggrediens, intellectum suum ex decreto suo perficiens. Hoc proh dolor usque adhuc saepius nonnulli conati sunt, at enimvero exitum tristem habuere. Nam molem illam rationis humanae magnificam et confabulationem congesserunt, quae fundamentum et aedificationem habeat nullam. Progressus scientiae non ex voluntate pendet neque ira nec vi propagatur, sed tanto major fit, quanto novae res et novae conditiones in conspectum veniunt vel pro natura rerum exoriuntur. Nisi forte una tantum res cum mente commercium habuisset, cognitio pariter nulla fuisset, nulla voluntas, nulla scientia. Ergo quo major summa rerum, quae menti obviam fertur, eo magis cognitionis progressus. Mens pro se nihil nisi conditio, qua cognitio tenetur, neque vis est. Tota vis in rebus.

Negari vero non potest, variis impedimentis semper progressum retardatum esse, atque hoc tempore vix fieri, ut ex omni colluvione et confusione scientia exsurgat et sese erigat. Adeo etiam adhuc valent, quae jam hac de re Bacon questus est: „causam ac radicem fere omnium malorum in scientiis eam unam esse, quod dum mentis humanae vires falso miremur et extollamus, vera ejus auxilia non quaeramus.“ Et si quis maximam penes homines sibi gloriam ac laudes comparavit, nisi forte quid egregie invenit, plerumque eo fecit, quod vana illa hominum idola contempsit et sensum prae omnibus voluit praeesse: uti illud T. Livii de Alexandro magno mirifice dictum

Eum non aliud ac bene ausum vana contemnere.

Quae vero plura adhuc impedimenta occurrunt varia ac diversa sunt, quorum magna pars jam educatione et disciplina posset evitari; neque tamen adhuc conabatur aliquis. Sed alia eorum fusius ac distinctius exponenda sunt, quia saepius occurrunt. Certi signum ac nota plerumque ex principio quodam ducitur, quod disciplinae propositum omnia regat, quia in se habeat ultimam assensus necessitatem. Quodsi quis in jurisprudentia principium liberi arbitrii pro fundamento ponit, ceteraque inde dogmatice et dialectice persequitur, haec anticipatio satis firma est ad consensum hominum, quia mediis sublatis intellectus statim perstringitur et phantasiae vi impletur. Unicus et verus consensus oritur, qui talem praebet speciem, ut judicium sit ab omnibus liberum, naturae adposite obediens et parens, semper in idem conveniens. Quid? Si modo ab initio in oeconomia nationali libertas politica et socialis pro principio vel idea probata est atque omnia inde derivantur, haec denuo nimia festinatio et antecipatio est. Res enim haec. Oeconomia pars scientiae est, igitur etiam a sensu ac particularibus initium capiens (non ex principio maxime generali) ascendendo pro rebus continenter et gradatim, ne quid medii unquam derelinquat, venit ad media, ad leges, denique ad summam legem, si jam fieri potest.

Alii vero signum veri in sensu ponunt. Sensus sani numquam fallunt. Quae sententia etsi haud temeraria videtur, tamen longe fallit. Subtilitas naturae subtilitatem sensus multis partibus superat, sic ut omnes perceptiones et notiones magis ex analogia hominis vel uniuscujusque personae quam ex analogia universi sunt. Signum veri omnino non est, nisi in rebus et in potentia humana, cui res obediant.

Juvat etiam de fine scientiae quaerere. Finis vero uniuscujusque hominis regnum est. Hoc si modo licet aliis verbis uti, nihil aliud est, nisi liberare personam unamquamque quam maxime ab omni vi et impedimento, ita ut suum finem optime attingat. Idem igitur finis scientiae et vitae. Et qui sit, quaerat quis. Causas finales scientia determinare non potest praeter proximas. De his Lotze sic se exposuit:

1. Als eigentlicher zweck der dinge ist überall nur die realisierung von gütern anzusehen. Sie sollen genussfähig werden für die geniessende bewusste welt.

2. Das lebendige hat die güter zu geniessen, um das höchste hervorzubringen, den inhalt des einzelbewusstseins.

3. Die societät bezweckt dasselbe. Daher gehe nicht das individuum in der gesellschaft verloren, sondern auch diese ist egoistisch zu überwinden, damit es die bestmöglichste freiheit erlange.

Quod si quis hunc ultimum finem esse negat, huic libenter concedamus, ut universi finis alius sit,

sed quum intellectui non pateat, nobis non est. Ultra posse nemo obligatur.

Libertas personae ultimus finis scientiae est. Quae libertas sane non perfici potest, sed necessario tum alia magis alia paritur, quum scientia et ars conjunctissime progressae sunt. Hoc quomodo gradatim factum sit, videamus. In universum res sic se manifestat, ut quae in fonte necessaria vincula videntur, in fine libertatem augeant. Inter utrumque vero intercedunt opera et labor.

Cognitio ubi incepit? Phaenomena naturae primo in sensus cecidere. Mens procul desiderio et dubio impressionibus plane se dedit, unde facile prodiit religio, fides et sacrorum formula. Homo enim vim phaenomenorum sentiens ob magnitudinem et vehementiam territus genibus nixus adorabat numen, quod omnia procrearet. Fabula igitur geneseos et origo rerum fabulosa prima notitia fuit. Serius quum rerum extensio animadversa esset, quum impulsiones menti extrinsecus oblatae sibi succederent, instinctiva et receptiva illa animi affectio in distinctionem transiit. Phaenomena sic disponuntur uti coincidunt, sese postulant et excludunt. Fiunt denique ex his observatis probabilitatis regulae, secundum quas, si quid acciderit, quid futurum sit, praesentitur. Certitudo quaedam instinctiva mentem regit, neque animum explere valet hoc genus cognoscendi semioticum et prognosticum. Ex successione visorum porro eo ventum est, ut nexus causalis statueretur. Quaestio haec primo chronologica fuit.

Studium rerum naturalium jam in initiis temporum obvenit et eo nasci debuit, quia homines ad victum cultumque quin etiam ad voluptates multis undique copiis egebant. Res quum ad usum vitae necessarium commodae non sint, opus erat, ut bonae ac commodae pararentur. Inde oeconomia exorta est. Quae etiam qua via studium rerum naturalium, eadem progressa primum instinctiva fuit, tum in studium revocata, postquam ad leges spectari coeptum est, scientiae pars non minoris momenti facta est.

His simul factis ut a morborum laesionumque vi sese liberaret, strenue contendit. Necessitas inde medicinam invenit. Natura hominis in sensus cecidit ejusque studium protinus inceptum.

Multis temporibus praeterlapsis quum multitudo hominum valde adaucta esset, ut sibi propius accederent, novae etiam vires ac conditiones in conspectum venerunt. Nam plus quam phaenomena homo hominem movet maximeque ad novas actiones impellit. Conversa inde omnis generis facies et habitus. Conditio familiaris in societatem abiit. Societas vero ultima necessitas est, qua personae libertas tenetur. Verum haec ipsa necessitas scientiae et arti superanda est. Varia jam eo studia pertinent, sed plerumque speculatione et traditione ita tincta sunt, ut, quamvis ea studia totaque ea res longe ceteris et studiis et artibus antecedant, vix quidquam in empiria profecerint. Etenim universus rerum processus mechanice propagatur, cu-

jus leges non vi ac cupiditate facere liquet sed experiundo tantum discere. Tempora huic studio qualia futura sint quis scit? Mihi quidem prospera videntur fore faustiora quam adhuc fuerunt. Nam hujus rei non modo praeteriit tempus sed ne maturum quidem nunc fuit, ubi res sociales omnino jaceant.

Studii rerum socialium tria genera distinguenda:

1. Historia humani cultus civilisque.
2. Causae ac leges societatis exponuntur. Cujus partes politia, jus, oeconomia et paedagogia sunt.
3. Conditio denique ingeniumque generis humani ad vericundiam et dignitatem refertur. Quam philosophiam denominari optime convenit.

His rebus antea perpensis, id quod de arte et scientia medica dicendum nobis proposuimus, facilius potest intelligi. Interfuit autem nostra omnino medicinam referre ad philosophiam, quae de verecundia agit, et ad studia rerum socialium, ubi medicina fontem et finem habeat. Tum imprimis de methodo scientiae sermo sit, quae talis sit, qualis ingeniorum acumini et robori nihil relinquat, sed quae auctoritates omnes exaequet. Verum enimvero certi ac veri mensura nec in systemate nec in ingenii acumine, nec in ratione nec prorsus in sensu; sed in rebus deprehenditur et scientia, quae est rerum imago methodice adaequata. Quemadmodum enim, ut liceat Baconis verbis uti, ad hoc ut linea fiat,

aut circulus perfectus describatur, multum est in constantia et exercitatione manus, si fiat ex vi manus propria, sin autem adhibeantur regula aut circinus, parum aut nihil: omnino similis est scientiae ratio.

Melius est naturam secare quam abstrahere. Baco.

Confirmata jam opinio et studio rerum naturalium adjuta, philosophiam plus quam proficiat nocere ejusque studium plane mittendum esse. Meum omnino judicium non fuit, sed tamen quam maxime caute ac considerate rem aggressus hanc fere constitui inire rationem. Natura philosophiae est, ut de essentia agat eorum quae in intellectu sint, et mentis ipsius. Incipit vero tum, quum judicium utique universale (omnia, quae cogitantur, sunt) in problema vertitur (omnia, quae cogitantur, sunt, aut non sunt). Quaecunque enim res sciendo, proponitur et quaecunque hac de re praedicantur syllogismo et necessitate demonstrata, quaestio denique semper fieri potest, res utrum sit, an non.

Ipse qui sit utrum sit an non sit, id quoque nescit. Philosophia ibi initium habet, ubi nihil adhuc antea ponitur et antecedit, quod assensum constringit. Ultimum hoc essentia est. Philosophiae igitur fons scepsis est. Et finis idem. Omnes qui longius progressi sese ad condendam philosophiam adplicuerunt, quia a rebus abstrahere conati sese libere atque absolute in cogitando movere coepe-

rant, in splendorem erroris inciderunt. Nam hanc sententiam iniere: „Cogitare humanum, quum semet ipsum determinet, positio absoluta et libera est voluntas igitur libera, substantia haud exstinguibilis.“ Nihilominus haec positio absoluta pro forma tantum interpretatur, nam negari non potest, ea, in quibus cogitatio versetur, res esse multifarias semperque positas. Sed his etiam de conjecturis, quas philosophia quasi libere cogitando facit, facile quis quaerat, utrum sint an non. Hoc judicium finis intellectus est, quaestioque adaequate expleri nullo modo potest; sed mens ac ratio confiteri ipsa cogitur se ultra non posse.

Philosophia quum id studeret, ut de essentialitate rerum quid poneret, mox (Cartesius) inter se opposita invenit. Involvunt fere omnes hoc oppositum:

Alles ist walten der blinden kräfte.
Alles ist unser bewusste gedanken.

Syntheses saepe et multifarie institutae sunt, quae sic se habuere:

1. Der gedanke ist accidens der materie. Materialismus.
2. Kraft ist emanation des gedankens. Spiritualismus.
3. Beide sind verschiedene vorstellungsweisen einer Substanz. Spinoza.

Kant vero rem aliter disposuit problema sic fervertens: „Materie und geist sind nicht dinge an sich, sondern entgegengesetzte vorstellungsweisen

ein und desselben dinges. Denn die dinge sind aussgedent, insofern sie unsere vorstellungen sind. Ob aber an sich die dinge aussgedent sind oder überhaubt existieren, ist die frage.“ Ita vero ex eo inde tempore realismus et idealismus inter se contrarii sunt. Synthesis quae futura sit, maximum problema. Philosophia problemata nunquam superare potest. Quaecunque igitur in intellectu sunt, utrum realia an idealia sint, minimi momenti est. Recedamus ab illa kategoria essentialitatis et vertamus ad illam mechanismi. Ibi enim nostra scientia et potentia est.

Mechanismus scientiae.

Scientia expers est passionum nec ullo tristitiae aut laetitiae affectu afficitur.
Sp.

Quae de scientia dicenda sunt, empirice solummodo inveniri possunt. Ac mens jam ab ipso principio nullo modo sibi permittatur sed perpetuo regatur ac res veluti per machinas conficiatur.

Necessitate ac usu homo ad operandum impellitur. In operando tantum potest, quantum scit. Et potentia, opera inventa et fructus pro veritate scientiae velut sponsores et fide jussores sunt. Si

de veritate et certitudine eorum, quae in scientia sunt, quaeritur, responsio non immediata est. Istud utrumque observari non potest, sed sic concluditur: Ex eo, quod mihi potentia est, persuasum habeo, scientiae meae adesse veritatem ac certitudinem. Verum haec ipsa veritas utrum omnino existat nec ne, in omnibus magnum problema est.

Scientia unica est. Meta autem vera non alia nisi ut dotetur vita humana novis inventis ac copiis (bonis). Bacon. Ergo unicus ejus status, isque semper fuit et mansurus est popularis.

Quoniam omnia mechanice disponit, cum res tum semetipsam non ex principio libertatis absolutae sed ex lege causalitatis explicat.

Quae rerum natura (wesen) sit, saepius quaeritur. Haec aut summa phaenomenorum rei qualiscunque aut nihil est, aut chimaera, velut omnino nomina temere abstracta.

Fons omnis notitiae sensatio est. Quaeque vero sensatio qualemcunque aut euphoriae aut dysphoriae effectum in animo ponit, ex qua re passiones et affectiones omnes progrediuntur. Sensatio tum fit, quum adparatus nervosus uspiam cum rebus commercium habet.

Euphoria ista aut dysphoria si ad res transferuntur ita ut rebus invicem comparatis ex harmonia aut disharmonia concludatur, quomodo sese habeant, in sensatione novum quale existit aut bonum et pulchre aut malum et turpe.

Ex commercio et convictu hominum aliud quale-

cunque sensationibus sese immiscet, scilicet vis officii et juris. Quae vero non in unica basi, sed in multis rebus posita est, aut in bello omnium contra omnes, aut in utilitate, quia homines vix absque mutuo auxilio citam sustentare et mentem colere possunt, aut in gratia aut adprime in praesidio et vi societatis, quibus unus quisque tenetur, ob timendi causam. Nam quo plures in unum conveniunt et vires jungunt, eo omnes plus simul possunt et consequenter plus juris simul habent quam unus quisque solus. Spinoza.

Commercium et societas etiam unius cujusque licentiam adimit et poscit, ne quis ad suum arbitrium sed ex sensu communi ethico voluntatem regat.

Voluntas non actione vel motione expedienda sed inhibenda fit. Quaeque enim ad systema nervosum facta impressio ibi discrimen (spannung?) efficit, quod discrimen motione quadam dissolvitur. Haec vero discriminis levatio per adparatum quendam cerebri potest conquiescere. Ubi igitur voluntas fit, ista moderatio non adhibetur et impressione orta motio et actio sequitur. Arbitrium liberum hypostasis est.

Perceptio unicus cognitionis fons est et antequam haec erat, nihil fuit in intellectu. Ex eo inde tempore, quo Locke perceptionem sensus pro unica perceptionis basi constituit, etiam methodus sciendi instaurata et munita est, verum speculatio sensim sensimque deserta.

Methodo fit, ut notitia rerum in scientiam convertatur. Quae vero methodus optima? Hujus etiam rei duo signa sunt: utilitas et progressus. Postulata haec methodus a Bacone patefacta prae ceteris maxime praestitit.

Omnis instauratio et munitio methodi a scepsi prodiit. Nam ipsa scepsis semper locum habet, ubi multa in notitia, in potentia parva et rara. A conditione igitur et natura rerum scepticismus profectus est, ut vitia et idola suo quoque tempore detegat et deleat.

Scientia sicut omnia opera pro objectis in partes it. Quarum partium vero altera non ex altera deduci potest, sed omnibus tantum communis methodus munita et patefacta.

Sicut studio rerum naturalium methodus deductiva jam magno praesidio est, fieri non potest, quin etiam studio rerum socialium fiat.

Methodus pars psychologiae est neque igitur spectat ad philosophiam sed ad empiriam. Est vero instrumentum certitudinis aut criticum aut hermeneuticum.

Methodus.

Es giebt nur diese Methode, denn alle übrigen sind Kathoden. R. Virchow.

I.

Elementa scientiae perceptiones sunt. Verum ipsa scientia has aut conjungit aut sejungit. Perci-

piuntur autem corpora prout moveantur et particulae corporum prout moveantur, earumque attributa. Quo magis igitur corpora secantur et partes earum debite separantur, prout fecit Democriti tacita schola, eo major cumulus perceptionum et factorum est, ex quo intelligentia fieri potest.

Quae observata sunt memoriae traduntur ibique retinentur postquam observationi nomen inditum est. Mox vero notiones generales existunt, nam si inter multas perceptiones aequa inveniuntur, haec denuo colliguntur. Inde nascuntur notiones, species, genera, typi, classes etc. Dispositio haec ob perceptam aequitatem constituitur, non vice versa. Quo vero perfectius mechanismus rerum cognitus erit, eo magis classificatio et systemisatio deseretur, nam restant omnino dispositiones rerum, quibus effectus legum teneatur. Nomenclatura et terminologia non solum memoriae fulcra sunt, sed etiam in evolutione et perfectione eo progressae sunt, ut quomodo res sese habeant, ipsae demonstrent, velut fieri solet in chemia.

Cum nomine arctissime notio conjuncta est. Notio est summa attributorum a re qualibet collecta. Haud sane immerito quaestio semper instituitur, ut notio definiatur i. e. ut quodque attributum explicetur et demonstretur. Definitio fit, quum res, de cujus notione sermo est, empirice inquiritur et attributa ex observatione demonstrantur. Notio igitur in tantum evolutionis particeps est, in quantum res unaquaeque potest melius cognosci et explicari. Defi-

nitio non vera est ob judicium, sed ob explicationem rei adaequatam. Judicium proficiscitur a rerum natura. Notiones innatae, quas dicunt, nullae sunt, nam ante perceptionem nihil erat in intellectu.

Cogitare i. e. judicare non est notionum conjunctio, sed explicatio conjunctionis inter diversas res et qualitates. Judicia haec synthetica sunt per meram inductionem effecta. Quae distinguuntur judicia analytica ea sunt, in quibus rei ea addicuntur, quae jam nomen continet. Nimirum haec jam synthetica fuere, nam prius, ut attributa omnia rei cognoscamus opus est, quam unum eorum rei addicere possumus. Demonstratio in inductione posita est, sicut in judicio synthetico. Nonnulla denique judicia a priori dicuntur, quamvis mere synthetica sint. Denuo dicendum est, priusquam in sensu aliquid fuerit, nihil in intellectu esse. Progressus potissimum notitiae effecit, ut notiones quasdam et judicia nobis tradita, quomodo orta sint, non intelligamus.

II.

His elementis cogitatio progreditur. Sicuti autem postulabatur, ut notio definiretur, semper necessitas oritur, ut quodlibet judicium, quum probationis indigeat, demonstretur. Haec demonstratio fit:

1) **per syllogismum.**

Syllogismus tamen cum judicio analytico comparandus est, quippe quod media explicet inter Minorem, qui ex observatione verus cernitur et Majo-

rem, qui inductione solummodo synthetice definitur. Syllogismus vero in deductione multum locum habet, sed ad finem nil valet, totaque conclusio jacet, si non Major, quamvis axioma sit, ex inductione demonstratur. V. Bac. l. s.

2) per inductionem.

Inductio orditur a sensu ac particularibus et transit comparando rite ac ordine ad generalia. Modo plena certitudinis est, modo tantum probabilia conjectura sequitur. Inductione aut causae aut effectus aut phaenomena coincidentia cognoscuntur; quarum rerum praeter perceptionem est ultima instantia probationis.

Inductio autem posita est in vero illo judicio, quod natura rerum non simili semper ac eodem modo formatur, sed tamen usque eo regulariter propagatur, ut causis ac conditionibus mutatis mutentur constanter ac consequenter effectus. Mill. So spricht sich auch Liebig aus in seiner methode: Es ist ein naturgesez, welches keine ausnamen hat, dass die abweichungen in einer eigenschaft stets und unwandelbar begleitet sind von gleichförmig entsprechenden abweichungen in einer andern, und es ist vollkommen einleuchtend, dass, wenn wir die geseze dieser abweichungen kennen, wir aus der einen eigenschaft one weitere beobachtung die der andern erschliessen können.

Unde vero istud regularitatis judicium factum est? Proficiscitur ex inductione per enumerationem

simplicem. Continuo enim phaenomenorum inter coexistentiam et successionem observatum est, si qua res sese commutavisset, fieri hoc non solere, nisi prius alia res commutata fuisset, ita ut dependentia quaedam insita videretur. Ex his lex causalitatis facta est. Verum haec ipsa lex, quamvis usque sine exceptione fuerit, veritatem absolutam metaphysicam non habet, nam pluralitas non est universalitas casuum. Hume.

Quod modo ad legem causalitatis fieri poterat, aliter locum non habet, ut lex universalis fiat. Plerumque per enumerationem lex empirica et specialis prodiit. Quod sic fieri solet, ut si modo in multis rebus phaenomena nexu causarum ignoto conjuncta inveniuntur, persuasum habeam, id etiam aliis in casibus futurum esse. Huc spectat, quod de statistice dicendum est.

Interdum etiam haec inductio haud sane parum valet. Si locorum et temporum longa spatia intercedunt, si numerositas perceptionum praeest, si denique casus contrarii generis nulla cura ac diligentia omissa non reperiuntur, ita ut abs casu fortuito res longe remota sit, tum etiam legem haud immerito generalem liceat statuere. Hac in inductione deducendo casu agitur. Theorie der wahrscheinlichkeit in der mathematik.

Analogia. Haec nihil probat. Licet enim a regularitate naturae sibi fidem parat, probatio nullius momenti est atque magis pro filo heuristico ha-

benda quam pro demonstratione. Nihilominus usque in praxi saepissime obvenit.

Secundum quam concluditur, rem, quae cum alterare in *ABC* conveniat, etiam in *X* consentire, quamvis inter *ABC* et *X* nulla communicatio, neque *X* attributum generis sit. Vis fidei non in *ABC* posita est, sed in eo, quod *ABC* cum *X* verisimiliter cohaeret. Analogia infimum inductionis gradum tenet.

Inductio per enumerationem simplicem sequitur ubi inter *ABC* et *X* nexus secundum legem specialem. Inductio causalis, ubi iste nexus causalis est.

Praestantissima ergo inductio causarum nexum indagat. Sed videamus, quid praestet mera inductio, cujus sunt quatuor modi:

1. Comparantur multae res, in quibus aliquid sive causa sive effectus simul deprehenditur, verum cetera commune nihil praebent. Tum prout se habeat res, a causa ad effectum aut ab effectu ad causam ascenditur ea ratione: si multae res, in quibus aliquid simul obvenit, communiter idem quid solummodo vel in causis vel in effectibus praebent, hoc solum aut causa aut effectus phaenomeni est. Inductio fit per enumer. simpl. et haud sane multum valet ad legem generalem, nisi forte concursus omnino fortuitus remotus sit.

2. Inductio fiat ea ratione, ut deducatur. Multis rebus comparatis, in quibus id, cujus causa aut effectus quaeritur, inest phaenomenon, cum aliis rebus, in qnibus non inest, quamvis ceteroquin non ab illis abhorreant, — causa aut effectus sic repe-

ritur, ut praeter phaenomenon, de quo agitur omnia deducantur. Fit ***BCD*** per ***bcd*** et ***ABCD*** per ***abcd***, ita plane ***a*** est causa de ***A***.

Hierbei wird aber leicht haubtursache, nebenursache oder zufällige verhältnisse verwechselt. Diesem zweifel zu begegnen ist es notwendig, dass man den Gegenstand in verschiedene verhältnisse bringt d. i. die induktion durch den versuch bestätigt. Opzoomer.

3. Aliqua de re omnia deducuntur, quorum causae in confesso sunt et concluditur, id quod in re objecta restat, effectum esse eorum antecedentium, quorum vis non in compertis fuerit. Simillimus hic secundo modo est, quamvis ea quae in compertis sunt, non una sejungantur sed singulatim quidque. Hic etiam modus pro se parum valet et experimenti admodum indiget.

4. Si qua res commutata et modificata cernitur eodem modo, quo alia quoque, intercedere concluditur inter has nexum causarum. Sed in hoc casu id providendum et experimentis inquirendum est, ne utraque res eodem modo commutetur ea de re, quia cum alia (tertia) itidem pariter commutata re velut cum causa cohaereat.

Experimentum.

Primum quodque judicium factu facile est, difficile ad probandum. Pars demonstrativa, quum res per syllogismos regat, fallax est, quia finem capessere non potest, quum per inductionem regat, de-

bilis et incerta plerumque. In his angustiis ad sola sensuum testimonia refugiendum est i. e. naturae monitis parendum et licet captum nostrum fugiant, itidem parendum; ea namque non per fortuitas sed constantes et perpetuas semper leges progreditur. Ubi igitur inductio non eo pervenit, ut res pro lege causalitatis absque ullo dubio disponat, nova rerum ac conditionum analysis opus est, quippe quae in experimento posita sit.

Experimenti vis eatenus pertinet, quatenus characterem observationis prae se fert, quae ultima sciendi instantia est. Percipitur vero in experimento phaenomenon rebus ac conditionibus, quibus tenetur, omnibus et ubique cognitis, dum usque omnino inter res fuit, quarum vires et effectus non in compertis erant. Aut si phaenomenon ex ignotis non potest liberari, tum id petendum est, ut ipsum phaenomenon commutetur ea ratione, ut ex sequentibus hujus facti vis et natura phaenomeni determinari possit. Videlicet hanc rem natura ipsa saepius instituit, sicut intelligi potest, si phaenomena pathologica cum physiologicis comparantur. —

Experimentum pro perceptione habendum. Unum vero perinde ac perceptio una ad probationem parum valet. Instituenda igitur series et numerus experimentorum, ita ut, postquam rem non temere nec casu evenisse intellectum est, lex quam evidentissime prodeat secundum istam regulam: Semper fit, ut quo modo conditiones eodem effectus immutentur. Finis ut jam diximus, totius probationis inductio per

enumerationem simplicem est, neque igitur lex causalitatis metaphysice necessariam se praestitit, quae philosophorum opinio est, sed a rerum consuetudine aden ta videtur.

III.

Omnis quae occurrit res, si talem propemodum speciem praeberet, ut ab una causa fieret, methodus usque finita esset ideoque simplex. Sed tamen quae obveniunt plurima, eaque imprimis quae animi sunt, quum ex pluralitate tum ex concursu causarum profecta sunt.

Pluralitas causarum (i. e. si res quaedam modo ex hac modo ex illa modo ex alia diversa causa efficitur) licet commutationem methodi non postulet, tamen curam ac diligentiam valde adpetit. Omnibus fere his casibus spes est fore ut diversissima rei causa aliquid praebeat, quod quia omnibus commune sit, pro vera rei causa eruatur. Sed usque res ad incertum spectant.

Concursus s. coeffectus. Res ita adparet, ut multae causae ad effectum concurrant, quarum pro se quaeque ad efficiendam rem minime valet. Hic duo genera distinguenda sunt:

1. Mechanismus.

Summa effectuum, quorum unum quaeque causa pro se promovet, etiam coeffectus omnium causarum est, quem una omnes proferunt. Analysis singularum causarum plerumque haud levissima est atque res saepius ad experimenta spectat.

2. Chemismus.

Quae in singulis causis inveniuntur attributa in coeffectu non adparent, nimirum qui longe alius videtur esse. Inquisitio duplex fieri solet:

a) Occurrit effectus, cujus causae chemice conjunctae sunt. Quomodo fit, ut cognoscantur? Hic multa casui tribuenda, multa vero cuidam analysi, ubi res in statum ac conditionem fertur, in quibus elementa sua exsolvantur.

b) Admoventur sese diversae res, ut chemice conflari possint. Effectum, qui sequitur, intellectus innotat. Haec etiam synthesis experimentis valde adjuvatur et ad theoriam multum valet. Quaecunque enim conjungere sese res adpetant et quibus conditionibus fieri soleat, facile intelligitur suisque pro legibus disponi potest. Quo magis vero synthesis progressa est, eo perfectius et expeditius pariter analysis propagatur.

Utraque inquisitione chemia prolata est. Maxima vero spes est, fore, ut, si statice et mechanice minimi coeperit esse, chemismus quoque de vita decedat. Nam unicus mechanismus omnia videtur regere. Sed ne dicam de futuris; nostrum non est.

Haud sane temere quaerat quis, quae de vitalismo dicenda sint. Meum non est tantas componere lites. Sed eo usque physiologiam progressam esse persuasum habeo, ut vim vitalem neget esse. Nam vires physiologicae principialiter non differunt a viribus, quae valent in natura anorganica, ita ut

vis vitalis non sit causa, sed potius ultimus effectus omnium aliarum corporis actionum.

Methodus deductiva.

Quae cum ita sint, videamus, quomodo etiam methodus subtilius sese excolat, ut par esse videatur difficultatibus. Bacon jamjam hanc rem egregie perfecit. Hujus enim methodo, cui nomen deductivae impositum, quae modo scientia praestitit celsiora neque concursu quodam fortuito depromta, ea tribuenda sunt omnia. Continet vero tres partes:

1. Fons. Scientia est tota in observationibus. Si quis vero omnia vellet observare, non posset neque sciret, quae jam alii de re objecta haud temere inquisivissent. Unde nulla necessitas magis instat, quam ut historiae studium multo studiosius sit agendum. Notitia omnium rerum omnino historica sit opus est, nam cui propositum est penitus scire verum, non confusa ac temere visa in compertis habere, is dumtaxat intelligat, omnia priusquam accipiantur, subjicienda esse arbitrio historici, qui vera ac falsa certa ac incerta, dubia et adversa curatius secernat. Studium autem historiae a magna injuria nos bene avertit, quod facile nos opponimus veteribus, utpote qui dirisu digni sint, quum contra ab initiis scientiam aedificaverimus. Scientia non ingenii humani partus est, sed temporis filia, quam ex iis, quae usus diuturnus notavit, effectam merito dixeris. Recentiores igitur veteribus non opponendi, sed quoad fieri potest, perpetuo jungendi foedere. Baglivi.

Forschen in den pergamenen
klaren sinns mit lust und senen,
und das alte wird dir neu.

2. Progressio per hypothesin. Ab istis profecti initiis empiricis de concursu et coeffectu causarum facimus conjecturam, i. e. hypothesin logicam, quae ex compertis et concessis satis copiosis aut per analogiam aut per inductionem progressum facit.

Hac in re sola menti et audacia in conjecturando et libertas in methodo permittitur; ad posthac probandi onus toleranter subeuadum est, si fructum sibi quis parare velit. Hypothesis pro quaestione habenda est, quae conjectura probabilis ad incertum revocatur; nam probatio in rerum natura est, neque prius quidquam, nullum judicium, nullam legem permitti licet, quam si exemplis rem monstrantibus adamussim natura eis obsequatur.

Hypothesis quam maxime possit simplex sit, ne ob magnitudinem ejus et implicationem probatio et experimenta magnis impedimentis premantur. Profecta sit, quod praecipuum in monitis est, ab universo scientiae statu et habitu, ne saepius id inquiratur, quod jam in confessis est. Restat ut strenue quisque admoneatur, ne ad hypothesin justo pertinacius sese adpellat eamque retineat, quasi quid jam verum sit, quum res bene explicet; nam multa, quae rem quadam feliciter explicuerint, prorsus falsa fuerunt.

3. Quaestioni experimentum respondet v. h.

Hac in re agitur, utrum obtemperet natura an non. Ad certam semper metam actio dirigitur. Quod enim petitur, definita res et scopus est. Vis demonstrativa eadem est, quae in perceptione invenitur. Ad experimenta instituenda multigenis rebus opus est. (Material).

IV.

Si de concursu causarum jam multa ac plurima vere cognita fuerint, etiam methodus deductiva quin quodammodo simplicior fiat nihil repugnat. Ita prorsus vero nostris temporibus nondum fieri potest neque spes est, brevi fore, nam suum quaeque res tempus habet neque ad praecipiendi rationem redire unquam in votis est.

Quae enim chemiae, physicae, quae potissimum physiologiae instant nondum superata? Sed maxime sperandum est, prospera eventura omnia, quum hoc saeculo scientia et industria quasi omnium moventia sint, (St. Simon) quum denique omnibus in rebus consulamus et utilitati et progressui. Bacon.

Multi pertransibunt et multa erit scientia.

Diese methode durchdringt alle zweige des wissens. Und der mann lernt nicht anders als das kind lernt. Im verhältnis zu unsern nachkommen sind auch wir nur kinder, stufen der unaufhaltsam weiterschreitenden wissenschaft, welche das einzige grosse individuum ist, welches das erdreich be-

sitzt und mit unwiderstehlicher macht in seinen gesezen hält. Was sind dagegen die sekten der phantasie und des glaubens, der egoismus des staats, der radicalismus der parteien, das schellengeklingel der freiheit und die vernunftweisheit der philosophie!

Medicina.

Utilitate hominum nil debet esse homini antiquius.

Philosophia se summum esse judicium problematicum ipsa constituit, quo fit, ut nil valeat ad scientiam, quae potissimum attributa describens rerum motionem secundum leges disponit.

Medicina igitur mechanica facta est. Unum enim ei restat illud, ut doceat, quemadmodum in bona aut adversa valetudine inter se differant conditiones, quibus leges vita apparent. Mederi significat — restitutionem non in integrum, sed in bonam conditionem: reliqua natura intus transigit.

Quae autem est lex? Lex significat phaenomeni cujusdam semper aequabilitatem et conformitatem. Natura non ex lege, sed ob legem paret. Nimirum lex non vis est, sed significat, ubi vis constanter unum effectum proferat, ergo potissimum ad conditiones referenda est. Vires nunquam cernuntur. Etenim vis notio hypothesis et solummodo co-

gitandi supplementum est. Vis enim non in rebus insita, sed res, quum alicubi et quodammodo cum aliis rebus ita congerantur, ut aliquid sequatur et efficiatur, accepisse vires dicuntur. Ita vero prorsus, quum de vita agatur altera substantia, quae organismum moveat quasi materei inhaereus, non ponitur, sed organismus ita fit, ut pro typo quodam aut dispositione, quae ex conditionibus proficiscatur, vires mechanicae una effectum proferant. Ita rursus inquisitio ad partes materiales dirigenda, quarum conventu vires adparent. Atque quadrare in inquisitionem merito dixeris vetus illud adagium: divide et impera. Atomismus corpora sub potestatem nostram redegit. Atqui quamvis microscopium similiter ac telescopium tantopere dicas impedire, quominus observatio sincere ac simpliciter fiat; quo magis materies in discretas partes secatur, eo simpliciores leges parantur. Nec infitias omnino volumus ire, atomismum certum sibi finem parare jam nequivisse, quem admodum inductio pariter ad certitudinem incassum petat, sed sese jam maxime probabilem reddidisse fas est dicere. Pars vero impedita atque incomperta haec est, Atomi quomodo pertineant ad vires, ad extensionem, ad impermeabilitatem. Describere usque rem possumus: vim proficisci ex coitu moleculorum per spatium extensionis. —

Coitio atomorum, quam organisationem denominamus aliquid memoratu dignum praebet, quae res aliter pro idea naturae aestimari solet. Organismus videlicet consequenter typum generis sequitur. Sed

tamen his temporibus haud difficile est intellectu, quum generatio propagatoria de conditionibus processus vitalis praemissis nihil immutet. Res si contraria evenisset, hoc jure memorabile esset neque facile explicari posset. Sed si de genesi generum sermo est, haec longe alia res. Initia vitae et mors usque prae omnibus perceptionis vim ac rationem fugiunt. Intelligitur nimirum mechanismus rerum, prout nunc sese habeat. Perfacile autem severa scientia se abstinet, dum illusiones profert speculatio et amoenas disputationes. Adprime in vita utile est, ut ne quid nimis.

Hujuscemodi typus hominis est, qui in diversa genera distinguitur. Horum vero generum praedispositiones sic se habent, ut non solum affectionibus extrinsecus oblatis adaequate effectae videantur verum etiam ex insita indole organisationis sustententur, ita ut quae de binis primigenitis dicuntur ea non ad omnia genera una valeant.

Extremi exitus typi mors est. Usque ad mortem vitae decursus conditionibus prosperis aut naturalis (sanitas) aut perturbatus et acceleratus conditionibus perversis. Ad hominis igitur finem vivendi opus est, ut conditiones bonas serventur. Omnia igitur, quibus homo implicitus est et cum quibus cohaeret, fiant bona necesse est, qui actionum hominis locus longe gravissimus est. Quum vero societas, uti jam vidimus, ultima conditio, qua homo tenetur, sit, hac de re idem quod modo diximus, pari vi ac ratione petendum est. Detur propensius venia, si

hoc loco mea exponam. Si tota propemodum scientia personae libertatem adpetit, multo adhuc magis medicina, cujus objectum homo est, hoc efficere coepit, dum ex altera parte politica et socialia, quorum objectum multitudo est, personae vim inferunt ob principia sua consequenda. De jure imprimis nonnulla referre liceat. Providetur maxime consequentiae logicae et agitur omisso discrimine ac re prorsus ad principia, unde fit, ut plerumque pro aequo jure iniquum efficiatur. Vitium duplex est, tum principia justo generaliora ac firmiora putantur, tum quae vera consequentia sit, magna est corruptela. Per syllogismum consequentia minus, magis sequacitas locum habet. Verum ipsa consequentia a rerum natura proficiscitur: neque eo fit, ut principio omnia subjiciantur, sed ut fines principii, quos res et empiria ei imposuerint, cognoscantur recte et iis ad amussim obtemperetur.

Finis medicinae oeconomia.

Duae dumtaxat artes sunt: oeconomia et bellum.

Proxima ad medicinam inter disciplinas sociales oeconomia nationalis habenda probe est. „Laissez passer, laissez faire“ signum est, quo illa omnia vincit. Tum quamvis multa ob speculationem vaga et confusa sint, quia in studio historiae se collacavit sibique leges empirice paravit, valde jam progressa est. Quid loquar hac de re, in qua jam observatione

homines multum valuere, tum plus etiam arte. Neque idoneum ratus tempus omnia persequendi, quae recentiores mirifice invenerint. Satis sit diligenter attendentem penitus videre, qui omnis hujus disciplinae finis in societate sit. Dicunt oeconomia divitias nationales augeri, sed universales sunt (common wealth); neque huic vel illi civitati aut genti emolumento sunt sed generi humano. Atque oeconomia quum in vera sua methodo jam longius processerit, sibi veri jam tantam copiam collegit, quanta haud sane levem vim exercere in societatis conditiones et alias doctrinas inciperet. Quid spectem, facile intelligitur atque hic plura persequi tum magnitudo rei prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum.

Medicina eundem, quem oeconomia, finem habet. Nam quum multa ab oeconomia relicta sint, bona paranda, medicina hunc laborem suscepit. Etenim si quis e corporis damno et malis emersit, hoc bonum est. Quod enim melius huic rei nomen imponam. Bona si conferuntur divitiae sunt: divitiarum universalium medici optimi adjutores. Atque haec ita sentimus natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina.

Quid? Tempus erit, quo ne dicam medicina et oeconomia confundantur, sed quo medicina propensius naturam oeconomiae prae se ferat. Transitus fere hic erit. Regula illa liberae concurrentiae per experientiam valde probata est. Fieri non potest, quin ars medica eidem obsequatur. Medici nimirum, quamvis multi consumant, plurimi pariter ac merca-

tor aut faber bona proferunt, quorum status naturalis libera concurrentia est. Quam rem etiam Dubois Reymond vir plane doctus in consessu academiae bene demonstravit Berolini. Atenim non solum ex scientia regulas consequenter deduxit, sed exemplo monstrante viam respiciens Angliam et Unionem rem e praxi probavit. Nos etiam rerum natura coacti hoc tenemus. Desinant esse examina, exerceat artem primus quisque et primo quoque loco, quantum in ipso sit. Sed longe alia res est, si de universitatibus agitur. Maneant necesse est, sed quasi associationes liberae, quarum gravitas caveat, ne quis commilitonum examine superato inscius imperitusque rem exerceat. Qui quamvis ei certamen futurum sit cum rudibus et medicastris, tamen mox palmam ferre potest. Sin autem ipse ad praxin parum valet, sicut multi his temporibus doctores, ita vero haud nefas videtur, quod superatur ab iis, qui nunquam scholam habuere minimeque rationalem. Neque enim homines aestimandi ex iis, quae in memoria habeant, sed e potentia sua.

Contra vero studium oeconomiae aliquo modo propius accedet ad studium physiologiae, quum pro methodo historico-philosophica historico-deductiva statuenda sit. Initia oeconomiae sic facta sunt, quae cum ipsa sensualismi reactione arcte cohaerent. Petty, Dovenant, Locke, Vaubans, Cantillons, Hume duces sunt. Sequuntur Quesnay, Gournay et Smith. Deinceps inde hac de nova re fatum irrupit, quod de medicina Celsus questus est: Nimirum experimenta

medicinae primo inventa fuisse ac postea homines circa ea philosophatos esse et causas indagasse et assignasse non ordine inverso fuisse, ut ex philosophia et causarum cognitione ipsa experimenta invenirentur aut depromerentur.

Ipsa vero medicina, prout progressiones suas fecit, per quasdam res scientiae faces tulit, unde nova incitamenta ad res sociales proruperunt novaeque necessitudines. Experientia docet, non solum singulos in infaustas conditiones incidere, sed etiam multitudinem, unde endemiae et epidemiae procedant summaque miseria efficiatur. Societas a medicina designatur conditio, cujus alius status parandus sit, nam levi impetu sic plura fieri posse, quam labore periculosissimo, quum singulos aegrotantes aggrediatur medicus. Virchow jam hac de re varie exposuit. Postulat enim societatis libertatem, culturam et rei familiaris copiam. Unde haec paranda sunt?

Desideratur his temporibus — freihandel, freie presse, freie association und concurrenz etc. Imprimis quomodo adversa fortuna generis operarii in melius mutari possit, disceptatur et eo premitur, ut manupretio de quaestu (Reingewinnst) addatur. Satis recte fit, sed restat omnino alia res longe gravissima: Eine gesunkene gesellschaft wird nicht gefördert dadurch dass man giebt, es muss als zweiter faktor sittliche freiheit und gleiche verpflichtung in der gesellschaft hinzukommen und diese beruhen

auf der freiheit der erkenntnis. Paedagogia et educatio igitur oeconomiae arena longe gravissima.

Medicina et paedagogia varie cohaerent sibique opem mutuam ferunt. Psychiatria plerisque paedagogia secunda est. Et quia ipsa societas interdum delirii vi agitatur, prout revolutiones politicae et religiosae talem speciem saepius praebuere, medicina nulla est, nisi prophylactica, quae in paedagogia generatur.

Duo potissimum in paedagogia mutanda sunt: Recedat a statu suo mere formali et logico, et rerum mechanismum colat. Donec logica valet, leges formales cogitandi intelliguntur, sed restat, ut quasi moventia cogitationis et incitamenta ad faciendum rite ac ordine cognoscantur proque dignitate aestimentur. Hae sunt passiones et adpetitus. Ab his tota vita humana progreditur, ab iis beatitudo hominis, quae in earum harmonia posita est. Nam trahit sua quemque voluptas. Tum vero ipsum oeconomiae studium minime omittendum est. Ubi enim in scholis hoc traditur? Nusquam, nisi in universitate litterarum.

BREVIS DE VITA MEA EXPOSITIO.

Natus sum Oscar Leonardus Beyersdorff in oppido Pomeraniae modico, Labes, idibus decembribus 1830 patre Frederico Guilelmo divini verbi ministro, matre Frederica Guilelmina e gente Pretzell.

Primam aetatem una cum patre laetifice egi, a quo primis litterarum elementis instructus, omnem eo inpendi laborem, ut juventutem ac vires confirmarem. Tunc a tempore vernali anni h. s. 45. usque ad eandem tempestatem anni 50 in gymnasio Sedinensi directore Hasselbach versatus sum. Animi tum vires ubi magis in promtu esse coeperunt, a magistris quum instructae optime tum etiam plane perfecteque exercitae sunt, ut nihil addi posset, quo maior diligentia ac cura esset. Quorum conplures non possum non appellare veluti Calo, Bonitz et Giesebrecht. Inde vero examine pro maturitate absoluto Bonnam petivi, litterarum sedem integram ac felicem et civibus academicis ab universitatis tunc rectore J. Bluhme adscriptus per tria semestria auditiones obii virorum

Trevirani: de botanice.

G. Bischof: de chemia et geologia.

Nöggerath: de mineralogia.

Plücker: de physice.

Troschel: de zoologia.

Van Kalker: de psychologia.

Albers: de e. cyclop. medica.

Mayer: } de anatomia hominis deque arte cadavera rite
Weber: } dissecandi.

Schaaffhausen: de physiologia et psychologia organica.

Kilian: de medicina forensi.

Adeo etiam in ista locorum amoenitate factis huc atque illuc excursionibus animo affectus sum, ut de me nunquam discessura sit loci atque hominum memoria. Relicta denique Bonna Gryphiam me contuli, ubi per universitatis rectorem Kosegarten in numerum civium academicorum receptus his fere per sex semestria scholis interfui

Hoefer: de orthographia Germani sermonis; de grammatica latina:

Baumstark: de methodol. cameralistica; de oeconomia nationali; de conservanda securitate publ.; de sumptuum redituumque reipublicae administratione.

Stiedenroth: de logice.

Laurer: de materia med. et formulare; de venenis; de arte fasciar. adligandarum; de aquarum salubrium notitia.

Haeser: de pathologia et therapia generali; de diagnostice; de historia medicinae.

Schultze; anatomia patholog; de comparata.

M. Schultze: anatomiae repititor.

Haeckermann: de medicina politica; de auscultatione et percussione.

Eichstedt: de arte obstetricia; de operation. obstetr.; de exercitat. in phantomate; de morbis mulierum, iufantum et cutis.

Bengelsdorf: de morbis zymotic. et malaria.

Bardeleben: de chirurgia gener. et spec.; de herniis; de ophthalmiatrice; de akiurgia; de luxation. et fracturis deque ossium morbis, cursuique operationum chirurg.

Berndt: de pathologia et therapia special.; de morbis puerperarum; de psychiatrice.

Adfui denique exercitationibus artis clinicae chirurgicae directore Bardeleben per tria semestria, artis vero clinicae medicae per quinque artisque obstetriciae per tria praesule Berndt. Cujus insuper viri illustrissimi erga me benevolentia per quindecim fere menses munere medici secundarii in morotrophio Gryphiswoldensi functus sum. Videor maximis beneficii vinculis obstrictus, sed quum necopinato vir pro aetate sua maturius insidioso malo obierit, restant mihi haec dicenda: Aliqua modo occasione factum, ut hic vir arte medica me instrueret, nihil mihi magis feliciter evenisse fateor. Nam ne dicam de coacervata experientia ejus, qui a prima aetate ad extremi usque exitum cum aegrotis cohabitavit, deque judicio ejus prognostico ferme mirabili, hoc unum teneri velim, virum eum fuisse. Nescius enim simulationum cum genere humano et inprimis cum discipulis candide et probe agebat: atque sive rei tractatae curam et methodum sive fidem in curando spectes, utraque res prosperum eventum semper habebat. Vitae ejus igitur nulla mensura melior videtur, quam dicas: His knowledge was power.

Advenit mihi tempus nunc optatum magis quam speratum, ut absoluto examine cum philosophico tum rigoroso ad doctoris medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae gradum promovear.

CONTENDO:

1. Animo dolenti cave ne credas.

2. Nisi ex consuetudine domestica remoti mente alienati sanari non possunt.

3. In insania longe efficacissimum remedium digitalis est.

4. Polsus solus non febrimensor.

5. Syphilis nunquam sanatur.

6. Therapia ars sui generis est. Neque igitur a chemia et pharmacologia neque a physiologia et pathologia recta via ac ratione proficiscitur, sed sua habet experimenta et inventa.

7. Medicus a medendo vocatur, in quo equidem longe praefero diagnosi prognosin; nam filum est, ad quod curationis designatio regi debet. Ex prognosi medicus cognoscitur.

8. Si inter scholam physiologicam aut rationalem aut Rademacheri solummodo eligendi optio datur, praeferam Rademacherum.

9. Tu antequam studium artemque medicam adeas, ne quid praetermittas in perdiscenda mathesi sublimiore, strenue provideas.

10. Epidemiae supprimendae non medico sed societati sunt.

11. Balnea vina venus corrumpunt corpora sana
At vitam faciunt balnea vina venus.

12. Jus naturale non existit. Nam unius cujusque naturale jus eo se extendit, quo ejus potentia et vis.

13. Atque ipsa utilitas justi prop emater et equia;
Jura inventa metu injusti fateare necesse est.

14. Alteri vivas, si vis vivere.

15. Vis nervorum est electrica.